Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 161
Quelle:
Copyright:

Erunt fortaſſe, quos in hoc Specimine non *Teutonica* tantum, ſed vel ipſa *Latina* advertent, quique una mecum optabunt, ut *Nomenclator* totus in uſum publicum cedat.

LXVI.

67 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 118. f. per duas columnas literis minuſculis exaratus et rubricatus continet *Enarrationes in Pſalmos, in Actus Apoſtolorum, in Apocalypſin, in Epiſtolas Canonicas.* In Pſalmos hoc eſt initium: *Beatus. Pſalmus iſte titulum non habet duplici ratione. quia proemium eſt. et prologus. et continet totam libri materiam. i. criſtum totum. et membra. ſponſum et ſponſam. criſtum et eccleſiam. et quia alibi titulus reſtat inquirendus et requirendus.* &c. Sic proceditur usque ad Pſalmi CVIII. *Deus laudem meam* &c. v. 21. ubi ſenſu manente imperfecto finitur: *In Glo. nullis meritis operum precedentibus ſed communicantibus neque enim angeli.*

Enarratio in *Actus Apoſtolorum fol.* 78. ſic incipit: *Mandragore in portis noſtris dederunt odorem ſuum. In eccleſiaſte legitur quod funiculus triplex non de facili rumpitur* &c. Capitum nulla fit diſtinctio, finiturque in conciliatione Bedae et Rabani circa tempus martyrii Principum Apoſtolorum cum clauſula: *Expliciunt actus apoſtolorum.* Tum ſtatim

Fol. 83. p. 2. *Incipit apocalipſis.* Ingreſſus eſt: *Micheas erit iſte. pax cum uenerit aſſirius. in terram ueſtram et quando calcauerit in domibus ueſtris* &c. Finis: *Alij habent. q. excommunicavi. et criſtus mecum excommunicat.* Demum

Fol. 86. ſub rubrica: *Canonice Epiſtole*, ſequitur harum brevis expoſitio, cujus principium eſt: *Uidi et ecce candelabrum totum aureum. et lampas ejus ſuper capud eius* &c. *Job.* I. c. 5. explicatur utrumque *teſtimonium*, coeleſte tamen confuſe, novo argumento, quam facile turbentur Librarii, ubi eaedem voces repetendae ſunt. Clauſula eſt: *quia ipſe eſt potens cui nichil reſiſtit, et hoc ante omnia ſecula etc. Amen hoc eſt uere. Expliciunt canonice epiſtole.*

Autorem *Enarrationum in Pſalmos Gilbertum Porretanum* Ep. Pictavienſem Sec. XII. ſcriptorem eſſe, ipſum earum initium evincit, quod habes etiam apud *Oudinum* T. II. p. 1286. ubi pluries Mſptae citantur, uti et in *Bibl. ſacra Lelongii* T. II. p. 911. Typis expreſſas unquam fuiſſe, non putem, neque id adeo dolendum. An vero reliquae etiam Enarrationes *Giberti* partus ſint, quanquam tractandi ratio et ſtilus id ſuadere videantur, tacentibus *Henrico Gandav. Trithemio, Caveo, Oudino, Fabricio* &c. adſerere non audeo. Fronti Codicis noſtri adſcriptum eſt: *Liber fratrum minorum in Winna.*

LXVII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 176. f. nitide exara- 90